

433

431

437

427

442

422

482

382

532

332

Ende

Anfang

422

vir iste columnas erexit et pontem Rivoalti construxit nec aliud petuit, nisi quod domini Veneti permitterent omnem ludum tesselatum, sive justum aut fraudulentum, liberum inter columnas istas; et cum multi viro compaterentur, hortantes eum petere aliquid sibi utile, noluit stultus ille aliud quidquam accipere, nisi ut libertas illa inter columnas firma servaretur.

Super ostium occidentale ecclesiae S. Marci stant quatuor equi magni, ex aere fusi et deaurati, quos cuidam imperatori, Friderico I., urbem Venetianam obsidenti fecerant; juraverat enim imperator, obsidionem non velle solvere, nisi equos suos locasset in ecclesiam S. Marci et plateam aratro arasset, et ita factum fuit. In ejus rei signum equos illos fecerunt et plateam totam marmore straverunt vario per longum in signum sulorum aratri. Ecclesia illa S. Marci est valde pretiosa et rotunda, undique marmore ornata et adeo mirabilis, ut vulgi fama sit, quod non humanis sed angelicis manibus sit fabricata.

Vir eloquentissimus M. Antonius Sabellius, rerum Venetarum ab urbe condita libro . . sic templum praefatum describit. Est itaque templum ipsum non tam magnitudine quam venustate sua, ut pleraque alia, quam opulenter insigne. Ejus effigies crucis imitatur speciem, cuius anguli in altissimas consurgunt testudines, quarum fastigia ut reliqua templi facies plumbeis tegulis operata ad centum XX stadia ex alto ad urbem navigantibus inter eminentissima urbis aedificia occurrit. Superbissimi ad id fornices mira inter se arte coeuntes totam molem fulcunt, quidquid a vico sursum est, pretiosissimo auro fulget, recedit tamen quam longissime ab oculis, in ipsa testudinum convexura graecanici operis vetustissimae imagines, moesta quadam venerabilique patientia, honorem cum religione mixtum spectantium animis inferentes. Quod inde ab auro ad pavimentum subiacet, id totum est marmoreis tabulis compactum, quae blanda inter se venarum similitudine citius fatigant, quam expleant intuentium oculos. Circa imum sedilia peregrini lapidis porphyridem rubentis, pavimentum figurarum varietate incredibili distinctum, et in tanta colorum diversitate nec alia nisi marmorum materia (?) praeditum, et ita composita est, ut imagines diversarum rerum ambulantes exterrent, ut quodam timore et reverentia pedes ponant. Columnae ad haec et tabulae multae et variae Thapsici lapidis, Parii, Spartani, Numidici, suggesta duo

